GRYPS MARTELLIUS.

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS.

JOSEPHO MARIÆ MARTELLI

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

RECENS INAUGURATO,

Dum in Templo D. JOANNIS Evangeliſtæ
Collegij Societatis JESU excipitur,

GRATULATIO.




FLORENTIÆ,


Typis Michaelis Neſtenus. MDCCXXII.
SUPERIORUM LICENTIA.



Lemma supra Templi januam.



Si petis Exemplar Sacri Pastoris, JOSEPH
Ipse dabit proprio in Stemmate, Seque simul.



Phrenoschema in Templo expositum.




Aquila, & Leo,
Inter quos Archiepiscopi Insignia, Mitræ, Litui, Cruces.

LEMMA.
Juncti servabunt, (ex Plin.)

EXEGEMA.
Junge Leonē Aquilæ: Gryps en! sacra Munera servans:
SACRORUM hinc CUSTOS dicitur ille vigil.
Quàm bene conjunctum, JOSEPH, ostendis utrunque!
Stemmate, ut ANTISTES, pingeris ipse tuo.





SACRI ANTISTITIS IDEA.

O R A T I O.



Rumpe tandem ex animo, jure debita, diu concepta, ægrè cohibita Gratulatio. Stant Gaudiorum causæ. Pastorem habemus destinatum Superis, votis expetitum, precibus exoratum. Aspectabili jam Præsentià fruimur: Lucis haustu recreamur. Verùm enim verò [Illustrisime, ac Reverendissime Præsul] illud usuvenit in secundiore fortunâ, ut Lætitiæ impotentia, Consilij habenas minùs audiens, plausus indiscriminatim prodigat; ipsoque Amoris impetu abrepta, quodam quasi furore amabili, temerè effundat; nihil admodum interesse arbitrata, cujusnam potius gaudium gaudeat, modò gaudeat. In hoc discrimen vocantur hodierna de Te Florentiæ Antistite Gaudia multò justissima. Scindit quodammodo semetipsam Voluptas; ubi se priùs referat, ambigens; an meritæ Dignitati, an Merito Digni-

gnitatis. Utrinque piaculum; si Piaculum sit, Amare. Nam si Vis Lętitiæ totam se Merito indulgeat tuo, haud illud tantidem fecit, quanti est: quasi enim statuit, abundè honestatum, nec Præmio ulteriore pensandum: sin prolixiùs incumbat in Dignitatem, altero semet obstrinxit crimine, quo vèl Ipse graveris absolvere: quòd nempe Honori gratulari minùs integrum sibi putet, quin tuas Laudes delibet, tuamque vèl Officio Modestiam violet; & Obsequij naturam per obsequia ipsa corrumpat. Itaque quò me vertam nescio. Sentio autem, mihi Sequestro aliquo opus esse: eo videlicet, ut missâ Dignitate, ac Personâ, hodiernæ vectigal Gratulationis uni Publicæ Felicitati persolvam. Hic igitur esto, Auditores, modus Orationis meæ; non ut gratuler Præsuli Dignitatem, quam ipse non prehensavit; non ut gratuler Præsulem Dignitati, licet hæc ipsum ambierit: sed ut *Perfectam Antistitis Ideam*, *Specimenque proponam in ipso Martellio Stemmate cognoscendum*: quo inspecto pronum sit unicuique colligere, quàm læta debeat e Præsule recens inaugurato Auspicia capere; & futuram incipiat jam nunc metiri Felicitatem.

Duæ sunt potissimùm Laudes, Auditores, quæ Virum sacrâ Infulâ dignum & faciunt, & probant; Vigilantia, & Fortitudo: altera perspicit Dignitatis officia, altera perficit. Neque verò earundem Ostensio negotiosa admodùm provincia est: in ipsis Præsulis Nomenclationibus elucescunt. Nam si *Episcopum* dicis, quid nisi *Inspectorem* intelligis? *Archiepiscopum* verò

Prin-

Principem Inspectorum? Hæc ipsa est notio Vocabuli, vèl ab Athenienſibus olim uſurpata eos *Episcopos* appellantibus, quibus Præfectura aliqua, aut Negotij ſumma demandaretur: [1] quò ſanè ſenſu Tullius ad Pomponium Atticum ſcribens, *Vult*, inquit, *Pompejus, me esse unum, quem tota Campania Episcopum habeat*. [2] Si verò *Pastorem* nominas, quantâ ſeptum Fortitudine animi eſſe eundem oporteat, tum ad Noxia quæque a Grege ſibi credito ſubmovenda, tum ad Salubria eidem accuranda, quotuſquiſque non videt?

Has porrò Virtutes quò apertiùs paulò mentibus ſubijciamus, gemino in Symbolo luculenter expreſſas, in Regijs nempe, ijsdemque Myſticis Animantibus, Aquilâ, & Leone, cognoſcite. Et primò ſanè quid Aquilâ vigilantius, atque ad longè latèque oculis pertingendum acutius; quod proinde principem illam Epiſcopi dotem expingat magis? Hac enim Alite nulla ſublimiùs evolat: opus ergo ei fuerat acerrimâ oculorum vi, ut *Profundissima quæque* (quemadmodum de eâdem appoſitè dictum fuit) [3] ſcrutari poſſet. Talis commodùm & Epiſcopus: qui velut in editâ quadam Specula conſtitutus Summam Rei ſibi demandatæ rite perſpiciat. Quare æquiſſimo D. Clemens P. M. ſanxit Decreto, ut Antiſtes eminentiore in Solio reſideat; [4] unde ceu Vulgo major inſpiciat omnes, inſpiciatur ab omnibus: intelligatque, Sibi, tanquam

[1] *Sarnel. to.* 5. *Epist.* 10. [2] Cic. Att. *lib.* 7. (3) Emman. Theſ. ex *Scip. Barg.* [4] Hierolex. *Macri*.

Paſtori vigilantiſſimo, ſuas Oves ſervandas. Quibuſnam verò præditus oculis ſit oportet, qui tam præcelsâ e Sede debeat circunſpicere? utique Aquilinis; ſacrâ ſcilicet Doctrinâ apprimè imbutis, atque emicantibus. [5] Sapienter proinde Græcæ Ritus Eccleſiæ, dum Epiſcopum conſecrat, in Templi pavimento Civitatis effigiem, juxtaque Aquilam format; per quam Avem, Scientiam Diviniorem ſignificans, admonet; tali eundem præſidio ſuper Urbem, & Populos vigilantiſſimum fore. [6] Evolet ſanè ſublimè Præſulis Mens: ſic condecet: Aquila eſt: humilia ſpernat; Cœleſtia pertractet; Sole ſe toto impleat. Icon erit pulcherrima Præſidis Infulati: quodque Latinus Pindarus cecinit de Virtute, ad ipſum jure ſuo pertinebit.

Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ;
Cœtuſque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente pennâ. (7.)

Enimverò ſic Volare Vigilare eſt, Divinum haurire Solem, puriorem lucem ad excubandum potare. Quòd ſi Hierarcha Mitratus (8.) ſibi tam impensè Vigilantiam depoſcit, Virtutem alteram, nempe Conſtantiam, & Fortitudinem, remiſſiùs vindicabit? Si Doctorum Pontificum Maximum audio Gregorium, minimè gentium: diſertè enim pronunciat, *Opor-*

---

[5] *Oportet Episcopum eſſe Doctorem*. Tit. 3. [6] *Hierol. Macri*.
(7) Hor. l. 3. *Od*. 2. [8] *Hierarcha*, ſive *Archiereus*, græca vox (ideſt *Summus Sacerdos*, vel *Sacerdotum* Princeps) varietatis ergò poſita.

Oportere eos, quibus Divinus Grex sit concreditus, magnâ cum Constantiâ vigilare. (9.) Quis igitur mihi obstrepat asserenti, eundem, præter Aquilam, Leonis Symbolo significari, cujus germana proprietas est Fortitudo cum Vigilantiâ coniuncta ? Nunquam ille quidem non excubat, cujus vèl somnus pervigil est ; frustra tamen excubiturus, ni Leo sit. Quarè in more positum illud scimus, ut pro Templorum vestibulis Leo utrinque marmoreus, tanquam excubitor, non tamen ut otiosus spectator, sed ut validus Propugnator, effingeretur. Hinc penes probatissimos Auctores pro *Sacri Custodis* Emblemate usurpatur :

Est Leo, sed Custos, oculis quia dormit apertis :
Templorum idcirco ponitur ante fores. (10.)

Imago Antistitis non inficianda ; incassum tamen futuri alacris ad excubias, si minus acer fuerit ad tutelam ; Sique Vigilantiam quidē servaverit, non item Fortitudinem Leoninam. Hanc sanè Virtutem in Episcopo usque adeò implicatam cum alterâ, colligatamque fateri necesse est, ut eam Divinorum Interpretes Codicum quasi Primas tenere statuant, ea Pauli verba explicantes : *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed Virtutis.*(11.) Virtutis,inquiunt, græcè Δυνάμεως, idest Fortitudinis. Siquidē vi sacri Ordinis conferuntur Episcopo necessariæ quidē virtutes, in primis tamen Invictum Animi Robur, quo furorem possit a Grege, & ter-

(9.) Jo: Ep. Const. dist. 8. c. *Oportet*. (10.) Theat. Vit. Hum. tit. *Leo* ex *Alciat*. (11.) 2. *Timot*. 1. Cor. a Lap. hic.

terriculamenta hostium propellere. Utrâque Præsul conflatus Virtute poterit jure suo Salomonis in Solio, Divini Solij Typo, inter duodecim Leunculos aureos, Protepiscoporum, ideſt Apoſtolorum Symbola, residere (12.): licebitque Ægyptios contemnere, Leonem Mitratum in Obeliſcis ſuis oſtentantes [13.], cùm potiore Epiſcopus jure, Divini Cuſtos Ovilis, *Mitratus Leo* appellandus videatur.

En! Auditores, veram Speciem, & Ideam Protomyſtæ, quam ſub ipſum Orationis limen propoſui contemplandam. Ad vos jam pertinet, Exemplum cum Archetypo, alternis veluti obtutibus, comparare: quo veſtram poſſitis Felicitatem non fallaci conjecturâ deprendere. Ad Præſulem rite conſtituendum Aquila, & Leo, myſticâ (ut diſputatum) ratione conjungi debent. Nunquid conjunctos nõ intuemini? Vigilantiam illam Animi, additâ Ingenij perſpicacitate, ac divite cenſu Doctrinæ (14.) [cujus locuples teſtis vèl ipſa Aquila modò fuit, Romana ſcilicet, atque adeò Innocentiana; INNOCENTIUS nempe XIII. quem diu ſoſpitent Superi, atque ſuperſtitent] Vigilantiam, inquam, Antiſtitis noſtri ſuo ſemper Ope-

(12.) Lauret. Silv. Alleg tit. Cathed. (13.) Kirk. in Obel. Flamin. ubi apparet Leo cum Virg. facie Mitratus (al. Sphinx.) Numinis Rerum Præſidis Hieroglyphicum. (14.) Quam ſit vèl ad eloquentiam informatus, teſtantur, inter cetera, Coll. Ptolem. ubi etiamtum Adoleſcens *Princeps in Re Literaria* fuit: & Flor. Academia vulgò *Bella Crusca*, ubi ætate maturior *Archiconſulatum* geſſit.

Operi intentam excubantemque, nusquam deviam, nusquam evagantem; tum perpetuum illum integerrimæ Vitæ tenorem, Morum gravitatem, Mentisque pondus sibi semper constans, nunquam discors; Vimque illam, & Energiam, in omni quidem Spartâ, præsertim verò Laurentianâ, gerendâ, ornandâque, præsentissimam: hoc, inquam, prænobile Virtutum Par, Principe Viro dignum, Mitrato Præsuli germanissimum, quod nullâ veriùs Imagine, quàm Regijs illis Animantibus, exhibetur, an non oculis vestris in tanto Heroe suspexistis?

Quòd si vèl e Gentilitijs Familiarum Insignibus futura æstimare fas est [cur verò sit nefas, cùm certissimæ Notæ sint, quò nobiliores, eò Sanguinis generosioris, & ad Grandia properantis?] quid de MARTELLIORUM Stemmate pervetusto, ac generosissimo * aliud poterat humanitus enunciari? An non, cùm Aquilam, & Leonem diximus, Gentem Martelliam adumbravimus? Gryphem videtis; hoc est Aquilam commodùm, & Leonem in unum conjunctos: quos ipsos Ideam Antistitis præstituimus, qui Divinas Oves, Opesque rite custodiat. Non enim temere visum est tam nobile Symbolum tantæ Familiæ attributum, temperante sic Numine, velut Sacris Dignitatibus destinatæ: siquidem Gryps penes Auctores omnes pro SACRI CUSTODIS Notâ atque Schemate usurpatur. (15.)

Quæ

[15] Aldrov. de Gryp. alijque.

Quæ cùm ita ſint, Auditores, ſi Idea illa, Specieſque Præſulis, quam ſtatuimus, geminâ potiſſimùm ex Virtute conflatam, Vigilantiâ ſcilicet, & Fortitudine, geminæ pariter Animantis Symbolo expreſſis, Aquilæ, & Leonis; ſi hæc, inquam, Idea in noſtro Antiſtite mirum in modum conjuncta, ſuffragante præſertim Doctrinâ, comite Gravitate, deprehenditur; adeo ut vèl in Gentilitio ejuſdem Inſigni elucescat, Ipſeque ad Eccleſiaſticos natus Apices, imò datus divinitus pluſquam humanitus, videatur: quænam exinde Felicitatis Auſpicia [id quod Orationis hujus fuerat Inſtitutum] capienda ſint, pro veſtrâ ſapientiâ judicate. Utique [quid enim?] lætiſſima, ubi omnia ad tantum Heroëm conſtituendum mirâ conſenſione conſpirant. Jam quid ſupereſt ex ndum? Non ut eam Felicitatem jam nunc e Præſule plena luce erumpentem clariùs inſpiciatis: nam quis non perſpicit? non ut Præſulem ipſum Felicitatis Auſpicem ex intimo ſenſu adametis: nam quis non diligat? ſed ut illam Superi, Paſtoremque diu proprium ſuis Ovibus velit, niſi cùm Paſtor futurus ſit Plenioris Ovilis.



* Gens Martellia [cujus Gentile Stemma Gryps ſemper fuit, ut ex antiquis ejuſdem monumentis liquidò conſtat] [a] in Florentinâ Ditione lato olim

Do-

[a] Geminos Malleos aliquando addidit pro Phrenoſchemate, & ad Parergon Stématis, aliarum Famil. exemplo, non verò pro Stémate.

Dominatu prænobilis, Florentiam ante seculum XIII. transfertur. Vexilliferos (vulgò *Gonfalonieri*, supremam in Rep. Dignitatem) censet novem; Priores triginta: Florentinos Senatores octo, Romanum unum, Comites Palatinos tres: inter complures Hierosolymitanos Equites, duos Pisarum Priores, Baruli (vulgò *Barletta*) unum, Messanæ unum: inter plurimos Equites Ordin. S. Steph., sex Urbini Balivos [quem Dignitatis locum hæc ipsa Familia fundavit] præter alios bene multos Militari, & Ecclesiasticâ Dignitate insignitos, inferiùs numerandos : Illustris petereà Cognatione non cum præcipuis modò Patriæ Familiis, præsertim cum Cosmo I. M. E. D., sed & cum exteris quoque magni nominis; cum Domo Fabiâ Romanâ, Adornâ Genuensi, Condulmeriâ Venetâ, cum Noceti Dominis, cum Fortebraccio Perusiæ, & Umbriæ Domino, qui idem Capuæ Princeps, & Magnus Neapolis Comestabilis; & cum Cæsare Estensi Mutinæ Duce.



PHRE-



PHRENOSCHEMATIS EXPLICATIO, PROBLEMATUM SOLUTIO.

Dialogus

SOLLICITUS, ET CALLIDUS

ACADEMICI SIDEREI;

Academicis alijs deinceps evocatis, & interloquentibus.

Sol. O Qui inter ceteros Rhetoricæ Alumnos, Minervâ tibi ingenium limante, facilè emines mentis acumine, Academice Callide; tu velim Phrenoſchema hic in propatulo collocatum, quatenus tectius paulò, ac ſpinoſius videtur, evolvas planiùs.

Cal. Prolixo animo tibi obſequor, Academice Sollicite;

cite: quando hac re institutus sum a Magistro. Aquilam, & Leonem vides. Complufcula quidem funt in hifce contenta. Per alteram Urbs Roma, quin & INNOCENTIUS XIII. P. M., quorum Infigne Aquila eft; per alterum verò Florentia, cujus Infigne Leo: rurfus per Aquilam, & Leonem, Vigilantia, & Fortitudo, Virtutes in facro Antiftite, ut modò audifti, pernecefſariæ, fignificantur. Per fubiecta verò Infularum, ac Lituorum Infignia Sacrum Florentinæ Principatum Ecclefiæ de præfacili intelliges.

Sol. Hactenus de Phrenofchematis Corpore, quod appellant; tametfi fcrupulus nefcio quis adhuc refidit animo: nam Rhetor nofter edocuit, unum ac fimplex illud effe oportere.

Cal. Non continuò fi unum, femper unum materiarià unitate Schematis, five Figuræ, modò fit unum Unitate Mentis, & Finis. Quarè Symbolum illud non incelebre Academiæ Concordium, tria exhibens Horologia, Rotale, Sciatericum, Arenarium, cum lemmate *Tendimus unà*, ab Auctoribus probatiffimis non improbatur. (1.)

Sol. Quod ad Corpus attinet Phrenofchematis, fecifti tu quidem fatis: jam faceffamus ad Lemma: *Juncti fervabunt*.

Cal. Non licet credere, tam agrefti te effe, ac plumbeo ingenio, quin fcias, fejuncta hæc duo, ac difpa-

[1] Emman. Thefaur. ex Scipion. Bargagli.

sparata componere. Si enim Roma, ac Florentia in Præsulem eligendum amico fœdere, & consensione conspirent, quid, rogo, existet, nisi Vir Ornatissimus, qui hoc possit Dignitatis fastigium, ac decus sartum tectum servare? Rursus fac, in hoc Amplissimo Heroe Vigilantia copuletur cum Fortitudine [quas Aquilæ nos, & Leonis Symbolo delineavimus] quàm præclarè suam Spartam ornabit! Denique [quò primùm spectavit Phrenoschematis mens] ex hisce Animantibus in unum conflatis quid efficiatur, tibi, (2.) ut opinor, non latet.

Sol. Utique Gryps: cujus prior forma Aquilina, posterior verò Leonina est; a minore Virgilio, Baptistâ Mantuano sic explicata: *Nam Gryps est Animal duplex; Aquilamque figurat Pars prior, in Libycum transit postrema Leonem.* (3.) Verùm iste quò pertinet?

Cal. Nempe quia allegorica Imago sacri Præsulis est.

Sol. Quid ita?

Cal. Quid ita, rogas? Responsio non facit ad omnem stomachum. Mercurialium mentium bolus est; cujusmodi hæc lectissimorum Virorum Corona: non enim ignorant naturam, & indolem hujus Feræ.

Sol. Edissere & mihi hanc indolem, ut ego quoque censear inter Doctiores.

Cal. Gryps, si qua fides Herodoto, Philostrato, Pausaniæ,

---

(2) Hanc esse latiniorem Syntaxin, docent Grævius exemplo. Cic. 1. Cat. Franc. Sanct. Minerv. l. 11. Jo: Margin. voc. *Sapere*.
[3] Bapt. Mant. lib. 4. Agelar.

ſaniæ, Plinio, Cteſiæ, Solino, Caſſiodoro, alijſque non ſordidis Auctoribus [4.], eſto fabuloſus alijs exiſtimetur [5.] habet hoc proprium, ac peculiare, ut Aurum, ac Gemmas, quę in Hyperboreis Plagis, Indiciſque effodiuntur, a prædonibus aſſerat, eaque vigilantiſſimè, fortiſſimèque cuſtodiat. Proinde Gryphus [6.] ſuo prope jure *Cuſtodis* nomen, & quidem *Sacrorum Cuſtodis* obtinuit. Quarè, ut ante templorum fores, tanquam Vigilantiæ Typus, ac Fortitudinis, collocaretur, mos olim invaluit [7.] Quodnam igitur verius potuit Præſulis Symbolum excogitari? Quòd ſi quiſpiam, nunquis aptiùs per hoc, quàm Illuſtriſs., ac Reverendiſs. JOSEPH MARIA MARTELLI exprimatur, cujus avitum Inſigne GRYPS commodùm eſt, ut ad ſacri Principatus Faſces natus quodammodo videatur, ipſumque agnoſcere prope liceat in Stemmate pictum ſuo? Igitur, ut omnia ſummatim colligam, ſi prædictæ Animantes, Leo, & Aquila, junctæ fuerint, ut junctæ ſunt, quà ſtudijs Urbium, & conſenſione Principum, quà Naturæ proviſu, quà Stemmate Gentilitio, quid inde exiſtet, niſi Vis quædam Rebus ſacris ſervandis, cuſtodiendiſque peridonea; videlicet hic idem ex incly-

B tâ

(4.) Ripa Iconol. p. 1. Plin. l. 7. c. 2. Cteſias l. 19. c. 94. (5.) Gryphas exiſtere, de Fide divina eſt (ex Levit. 10. 13.) licet non cujuſmodi hic deſcribuntur: ſed Aquilarum genus maximum ſunt. Cor. a Lap. hic. (6.) Gryps, & Gryphus Plinio. (7.) Aldr. de Gryp. tit. *Myſtica*.

tà Martelliorum Domo FLORENTINUS ANTISTES? quæ quidem universa subiecto Exegemate comprehensa sunt.

Junge Leonem Aquila : Gryps en! Sacra Munera servans:
SACRORUM hinc CUSTOS dicitur ille vigil.
Quàm bene conjunctum, JOSEPH, ostendis utrunque!
Stemmate, ut ANTISTES, pingeris ipse tuo.

Sol. Tametsi mihi abs te profiteor factum satis, ansam tamen mihi datam sentio nonnullarum quæstiuncularum ex tuâ doctrinâ, dum exhibes, tacitè subnascentium : perinde ac si dixerim, *Gryphus Gryphos vocavit.*

Cal. Video, mi Sollicite, quorsum eas : Ingenium simul tuum demiror. Nunc jam possumus invicem transnominari: tu enim Callidus, qui Callidum captiosè sollicitas in Problematis. *Gryphus*, ais, *Gryphos vocavit :* & unà struis. Vis nempe ut dissolvam? Nulla in me mora. *Gryphi* [vocabulo fortasse ab implicatione, nexuque geminæ Animantis in unam derivato] appellantur Ænigmata salebrosiora, non ea quidem in re ludricâ, & jocosâ, sed seriâ, & graviori; quorum enodatio curam studiumq; impensius requirit. Auctores[si quid credimus Athenæo] Aristonomus, & Cleon. Hæc olim ab Ægyptijs, Babylonijs, Israelitis, inter pocula proponebantur. [8.] En! igitur, quo pacto tibi *Gryphus Gryphos vocavit :* Ænigmata, & frequenti Gryphis mentione suborta, gestis intexere. *Sol.*

[8] Ex Theat. Vit. Hum.

Sol. Divinasti : neque enim id fore extra chorum [quod dicitur] in tanta Solennitate.

Cal. At qui si Sphingem egeris, OEdipos nactum te puta; Academicos Sidereos. Adeste. Tu verò agedum incipe.

Sol. Leo-aquila a Leone, & Aquilâ excipi debet.

Cal. Grypisma hoc [9.] actutum expedi, Academice *Subobscure*.

Sol. Quanquam Davus, non OEdipus sum, me ipsum tamen exacuam. Leo-aquila nihil aliud, quàm Gryps. Gryphem dixi? Sacrum Præsulem audisti. Ne verò id absonum videatur. Nam, si olim pro Romani Pontificis Schemate assumptus fuit, additâ Epigraphe *Undique Princeps*; (10.) ut innueretur videlicet per gemina hæc Regia Animantia geminum ejusdem regnum, Sacrum, & Temporarium: rursus si idem ad Christum quoque Servatorem significandum traducitur, quòd duplici constet Naturâ, Divinâ, & Humanâ, (11.) quotusquisq; nobis superciliosus Aristarchus obganniat pro Antistite, & hujusmodi Antistite, usurpantibus?

Sol. Basilicè! Perge porrò.

Sub. Jam verò præsens Antistes, ad sacros evectus Fasces, a Leone, nempe Florentiâ, & excipiendus perhonorificè, & exceptus est. An non excipiendus itidem & ab Aquilâ?

 Sol.

(9.) Ap. Aldrov. de Gryp. (10.) Piccin. Mund. Symb. l. 4. Symb. 364. [11.] Aldr. l. 10. de Gryp. tit. Moralia.

Sol. Quænam verò iſta ?

Sab. En ! Ædem circunſpicis Jo: Evangeliſtæ, qui Aquilæ typo ſignificatus, & *Aquila* per ſacros Interpretes dictus: nimirum quemadmodum Aquila recto intuitu ad Solem, ſic & Joannes, D. inquit Auguſtinus (12.) ad Dei Verbum intuendum elevatus eſt, ut alius nemo altiore indagine ſit Myſtica perſcrutatus. Huc adde quòd & Aquila & Leo tantâ fide ſociantur, ut ad idem jugum pariter junctos Ezechiel olim viderit Divinæ Gloriæ currum trahentes. (13.) Sed omnia in pauca conferamus.

Gryps Leo, Gryps Aquila : excipiet Leo, & Ales, ubi almo
Flora, & Joannes Te gremio excipiet.

Cal. Eugepæ *!* viſus Panthomates, omnium ſciens. Perge, Sollicite.

Sol. Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Penniger eſt Quadrupes, Penniger & Quadrupes.

Cal. Academice Umbroſe, has umbras elucida.

Um. Locus iſte (cui dubium cadit ?) eſt Sidereorum Academia, noſtræque Gymnaſium Rhetoricæ; cujus in fornice pictus cernitur Alatus Quadrupes, nempe Pegaſus, unà cum Fonte Heliconio. Cujuſnam verò munere impenſiſque depictus, quæritis? Gentis Martelliæ; nempe FRANCISCI; qui idem noſtri Antiſtitis Patruus; jam tum noſtræ Rhetoricæ Alumnus, poſtmodum Corinthius Archiepiſc., Patriarcha Hieroſolymit., & apud Polonos Nuncius

[12.] Ser. 34. in Jo: (13.) Ezech. 1.

cius Apoſtolicus, demum in numerum Purpuratorum Patrum adſcitus; Rom. Purpuræ Splendor, Martelliæ Familiæ Gloria, noſtri Collegij Decus, Patriæ totius Honos ampliſſimus: ad cujus inſignis Promeriti monumentum perenne jure ſuo in noſtro Lyceo ſubſtat Pegaſo ejusdem Gentile Stemma; ac proinde Alato Quadrupedi Alatus Quadrupes. Neque id ſanè temere: quàm bellè enim convenit Gryphi cum Muſis! Gryphas Apollini ſacravit Antiquitas; ejuſque Currui adiunxit. (14.) Et ſanè in Numiſmatis vetuſtiſſimis Gryps cum Apollinis jam Capite, jam Tripode cernitur. Hinc duo rite conſice: alterum, meritiſſimò Domum Martelliam Gryphem ſuum ad Pegaſum adſtituiſſe, quæ tot inclytis Viris Muſarum, & ſapientiæ amicis effloruit: (15.) alterum ad noſtram Academiam ſpectare potiſſimùm, tantum Præſulem celebrare, cujus Familiæ Decora, tantæque Liberalitatis lux & imago ob oculos ſemper noſtros verſantur.

En! quibus in terris, & ſum tibi magnus Apollo,
Penniger eſt Quadrupes, Penniger & Quadrupes.

Sol. Sapienter, & quaſi Pegaſus recens ingenio. Iam adeſte animis ad hunc Gryphum.

Leo, & Aquila inter Sidera: num Leo-aquila inter Sidera?

Cal. Hic enimverò pertinet ad Sidereos. Ades, Academice *Sublimis*.

(14.) Aldrov. de Gryphe. (15.) Viri e Domo Martellia Poeſi, doctrinaq; illuſtres recenſentur ſub Dialogi finem ad Aſteriſcum *

Subl. Adſum. Longè quidem ſeiuncta Sidera, Leo, & Aquila: ille Signifero in Circulo, ſive Zodiaco, hæc in Galaxiâ. Sed enim, cùm ſit Leo ſtellis quatuor, & quinquaginta compactilis, [16.] Aquila verò undecim, ſicubi novum Schema Sideris detegatur, quod utrunque numerum, contineat, quis vetet, Leonem-aquilam, nempe Gryphem, in Sidera cooptari? An non cooptata in recentia eſt, præter alia, Crux in Ventre Centauri ad Auſtralem Plagam? an non recentiùs Crucifer Clypeus Sobieſchius ad Borealem? an nòn & Sextans Uraniæ inter Craterem, & Hydram? (17.) Et Gryphem igitur in Sidereum Album referri, quis invideat?

Sol. Cedo tandem quatuor & quinquaginta Stellas e Domo Martellia, queis novum ſit fas in Cœlo Sidus coagmentari.

Subl. Detecta crede: Gens enim Martellia quatuor, & quinquaginta Stellas enumerat, quà Doctrinâ prælucidas, quà Fortitudine Animi, quà Prudentiæ laude, quà Eccleſiaſticâ Dignitate, quà Sanctimoniæ gloriâ (18.) Noſter interim Præſul laudes complexus omnium, in terreſtri clareſcit Eccleſiæ Cœlo, poſtmodum ævo, ut apprecamur, ac meritis gravis, ſuperis in Sedibus ſuo Sideri nomen daturus. Quæ univerſa, mihi aurem vellens Uranie, monet, præſſiùs ut circunſcribam.

Eſt

[16.] Ex Lexico Math. Hieron. Vitalis. (17.) Ex Planiſph. noviſſimo Doppelmayr. (18.) Horum nomina ad Dialogi calcem vide ſub Aſteriſcum *

Est Aquila in Cœlo, est Leo: Qui complexus utrunque
In sese, a Cœlo GRYPS tamen unus abest.
Cùm vigil ANTISTES, fortisque refulserit, olim
Cœtu in Sidereo GRYPS quoque celsus erit.

Cal. Sublimiter pro tuo Nomine, proque Academico Sidereo!

Sol. Prosequamur. *Nilum vidi in Sexto Signo exaltatũ.*

Cal. Gryphus hic quidem certè plusquam Laconica Scytale est. Aquilinum poscit ingenium. Evolve ambages, Academice *Acute*.

Ac. Hisce involucris nihil aliud, nisi me fallit animus, præter Nostri Nomen Antistitis, adumbratur: ideò non tam Gryphus iste, quàm Logogryphus, & quasi Ægyptium Hieroglyphicum est.

Sol. Edissere.

Ac. Nilus analogicè Gryps, ænigmaticè JOSEPH. Sextum Signum, ideſt Virgo in Zodiaco, symbolicè Magna Deipara (*19.*), cui Nomen est *Exaltata*, hoc est MARIA [20.] Nilus igitur in Sexto Signo quid erit nisi JOSEPH MARIA MARTELLI?

Cal. Explana singula.

Ac. Gryps Leo-aquila est: Leo-aquila & Nilus: Nilus ergo analogicè Gryps est. In primis Nilus Αετὸς idest *Aquila*, nuncupatur, ipsaque Ægyptus Αετια hoc est *Aquilina*: quarè Aquila Nili est Hieroglyphicum.

 Cal.

[19.] Chrys. Dalm. Soc. Jes. Mund. Marian. disc. 33. Arabes vt. signum exprimunt Virginem cum Puero in sinu. Ex Albumazar.
[20.] Inter alias, MARIÆ significationes. *Una est Exaltata.*

Cal. At unde Nilo *Aquila* nomen inditum ?

Ac. A curſus velocitate, & alvei altitudine. [21.]

Cal. Quamobrem verò Nilum *Leonem* vocitas?

Ac. Leonis quoque Hieroglyphico Nilus exprimitur; ſed Nilus accreſcens: quòd Sol, ubi Leonis Signum ingreditur, Nilo Aquarum incrementum largiatur: creſcit autem eò uſque dum Sol ad Virginis Signum pervenerit: tunc reſidit. (22.) En! igitur, quamobrem Leo-aquila Nilus ſit, ſed Nilus accreſcens. Quid verò JOSEPH, ſi Etymon conſulis, niſi ACCRESCENTEM, ſignificat? In Nilo igitur uſque ad Virginem augeſcente JOSEPHUM MARIÆ Nomine auctum non ne vides? quæ cùm ſit EXALTATA, quin & Exaltans, atque, ut D. Germanus ait, *Exaltatio Exaltationum* [23.] quid inde fas conjectare, niſi Præſulem noſtrum ad Eccleſiaſticos Faſces in principe Urbis Templo MARIÆ ſacro exaltatum, ulterius fore [ut bona ſpes eſt] exaltandum?

Cal. Profundè ut Nilus, acutè ut Aquila, fervidè ut Leo. Nunquid præterea, Sollicite?

Sol. Diſſolvite & hoc Problema. *Gryps ſuccedit Ancilibus*.

Cal. Tu laceſſeris, Academice *Audens*, ad hoc Rete Vulcanium extricandum.

Aud. Nulla mora in Audente. Duo per hoc Ænigma indi-

[21.] Diod. Sic. l.1.c.2. (22.) Herodotus 100.dic. [23.] S.Germ. ſerm. Præſ. Deip.

indicantur: alterum quidem, quòd VII. Idus Martij Florentinus Antistes Romæ sit designatus: alterum verò quòd maximum in eodem sibi Præsidium Florentia situm intelligat.

Cal. Adhuc caligo. Explica rem uberiùs.

And. Sensim, & gradatim omnia. Non te fallit, opinor, Romæ olim quotannis Ancilium Festa solita celebrari; cum videlicet hæc collisa circunferebantur a Salijs, haud sine tripudio: quòd in uno ex illis putaretur Urbis Præsidium constitutum. Hæc verò Solennitas eo ipso die VII. Idus Martias peragebatur, quo die JOSEPH MARIA MARTELLI Protomysta Florentinus est renunciatus. Cùm igitur ipsum Florentia instar Arx sibi præsentiat futurum, & veluti sacrum sui Gregis Ancile, non Aquilæ modò, ut Clypei Romanorum (24) sed Aquilæ-leonis effigie auspicatiùs insculptum, nonne superstitiosis Ancilibus Gryps sanctior successit, hoc est JOSEPH MARIA, Ancile, Præsidiumque certissimum Populi Florentini? Hanc equidem reor mentem Ænigmatistæ.

Sol. Verè dicis; neque a scopo aberrasti. Sed advertite animos ad hoc Problema. *GRYPS emendans Quinquatria.*

Cal. Nodus enimverò Gordianus, ad quod exolvendum Alexandri gladio opus sit. Te hic poscit locus, Academice *Occulte*.

Occ.

(24.) Aldr. Ornith. lib. 2. pag. 273.

Occ. En! ego dicto audiens. Sub Quinquatrium Festa, Romæ quondam in Minervæ honorem concelebrata, dabantur in obsequium ejusdem Gladiatorum ludi; die videlicet XI. Kal. Apriles; qui dies emendatus utique pulcherrimè est, ejusque superstitio ejerata, secundùm alias rationes, per Inauguratum Præsulem Florentinum. Devovendus autem, & ad sanctiorem ritum transferendus per Gryphem mysticum videbatur. Gryps enim fuit olim a Græcià suæ Palladi dictus sacer: & in Arce Atheniensi [si Pausaniam audimus] (25.) simulacrum erat Minervæ, in cujus Casside Gryps utrinque sculptilis cernebatur. Nunc verò meliori Minervæ, hoc est Deip., sacratiùs addicitur, dum noster Antistes, eo ipso die Tiaræ auctus honore, ad suæ Dignitatis Possessionem in primate Florentiæ Templo adeundam jus acquisivit.

Sol. Acu rem tetigisti. Obelisco dignus es, & plusquam Clypeo Argivo. Sed adhuc Ænigma unum.

Abfistite, Lemures: Gryps adest.

Cal. Latebra sanè, præquam credi potest, inopinabilis! Ingenio hic usus est tuo, Academice *Vivide*. O omnium quantum est hominum acutissime, siquidem expedieris!

Vi. Quin imò hoc Facili reor facilius nihil.

Cal. Bene habet! Authorasti fidem tuam: exauthorabis.

Vi. Solennem hic inspicio, quam Præsul noster in Æde Maximâ adijt, Possessionem. *Sol.*

[25.] Pauf. in Arcad.

Sol. Id ipsum oppidò perplexabile est.

Vi. Nonne hæc per eos dies adita, quibus olim Lemuria, hoc est Sacrificia a Romulo adversus Lemures instituta? [26.] Putabantur enim Lemures, sive Larvæ, concursare noctu per domos, & Civium quietem interturbare. Ad eos porrò abigendos juvenes armabantur.

Sol. Quid nobis, o Vivide, profanis cum Ritibus jam antiquatis?

Vi. Quasi verò, Sollicite, Christiano Gregi veriora Spectra circumundique non insultent, Error, Superstitio, Fraus, Flagitia: quæ pretiosiorem Animi tranquillitatem, Fideique perturbant. Huic, tutandæ nam quid præsentius, quàm mysticus Gryps? Quemadmodum enim hoc Animal Aurum attingentibus maximè infestum est, atque, ut Poëta canit, *Unguibus, & rostro, atque alis armatus in hostem*, suas mirè opes defensat: sic noster Antistes Intelligentiâ, veluti Alis, tum Eloquio, & Exemplo, Ecclesiæ Thesauros eatenus tutari occœpit, ut quidquid eisdem infensum occurrat, se priùs detrusum persentiat, quàm nociturum. Intelligentiam novimus, Eloquium audivimus, (27.) Exempla intuemur. Nam Pugna hæc, atque adeò Victoria, & Triumphus, peractus tum rite est, cùm Præsul Am-

---

(26.) Hæc VII. Idus Maij, tum V. tum III. sic alternis fiebant.

(27.) Reverendiss. Can. Franc. Tornaquinci Eccl. Cath. Archid. nomine totius Capit. peroravit: Ad quem Illustriss. ac Rev. Archiep. egregia oratione respondit.

Amplissimus solenni pompâ, frequentissimoque totius Urbis concursu Templum ingressus plus mille facibus irradiatum, sacrum veluti Capitolium, Stygias Larvas non tam abegit, quàm triumphavit. Eius Aduentu asserta Salus: in portu res est: tranquilla omnia: regnat Pax; ardentque vota, & spes omnium, ut regnet diù. Vin' hæc strictim, & circuncisè?

Gryphus adest: Lemures absistite: Crimina, Fraudes, Templum Præsul adit: cedite; Gryphus adest.

Cal. Macte esto egregie Juvenis singulari eruditione, & ingenio! Verùm semper ne ego Auditor tantùm? Disce tu quoque, o Sollicite, Gryphos dissolvere, è que Sphinge in OEdipum immigrare.

Sol. In quovis loco me, Callide, paratum puta.

Cal. *Ex Igneis alatis alatus Ignis.*

Sol. Verè Sphinx locuta est: tentabo tamen. Nihil hîc aliud involvitur, præter Amorem; & Amorem reciprocum inter Antistitem, & suum Gregem.

Cal. Qui tandem?

Sol. Hîc quoque GRYPS sublatet (& percommodè quidem: nos enim in uno Gryphe Martellio huc usque versati, ab eodem latum unguem discedere non debemus). Gryps igitur, cùm ex Leone, & Aquilâ coalescat, totus constat ex Igneis: ignita est enim Leonum, & Aquilarum natura. Nam quid Aquilâ igneum magis? vèl hinc intelligi potest, tum quòd omniũ sit Avium vivacissima, tum quòd Pennæ Aquilinæ alienis commistæ illas calore suo deterant,

atque

atque ſuburant. [28.] Nam de Leone quid dicam? quem Ægyptij pro Ignea vi Solis accipiunt [29.] Macrobius planè igneum, deque naturâ Solis confirmat (30.) quin imò ex ejus oſſium colliſu [teſte Æliano] non ſecus ac e ſilice, Ignis excuditur. (31.) Ergo & Gryps, qui ex utroque concretus, totus Igneus erit: idcirco etiam pro Ignis, & Æſtatis Symbolo adhibitus (32.). Quàm appoſitè igitur Symbolum ſit & Amoris; qui & Ignis fingitur, & Alatus? Qui quidem Amor, ſi cujusquam, certè pingitur in ſuo GRYPHE noſtri Amor Antiſtitis in Populum Florentinum.

Cal. Hactenus Amorem Præſulis video: mutuum Populi Amorem non video.

Sol. Placido tenore Optatis tuis reſpondebimus: pronum eſt enim hunc ratiocinatione colligere: ſiquidem Amor Amorem parit: mirèque facit in hanc ſententiam Emblema illud ſanè ingenioſum Joachimi Camerarij [33.]. Inter cetera Leonem pinxit, & Aquilam ex adverſo ſe reſpicientes, ſubiecto lemmate: O' E"ρος ά πάντων άιτιον, κ) πρὸς άυτον ά πάντα. ideſt Amor cauſa omnium, & ad ipſum omnia. Itaque, cùm Salus univerſorum e noſtri Præſulis Amore derivetur, quis dubitet, an idem Amorem omnium conciliet, in ſeque reciprocet? Habes igitur tui ſenſum Ænigmatis: *Ex Igneis alatis*

(28.) Aldr. Ornith. lib. 10. [29.] Horuſ. l. 1. Hier. 21. [30.] Macrob. Saturn. l. 1. (31.) Aldrov. de Gryp. tit. Myſtica. (32.) Ibidem. [33.] Cent. 2. de Symb. Anim.

tis alatus Ignis: ideft Ex Amore Amor.

Cal. Pereruditè! Jure ideò in Academicos Sidereos adlectus, qui feu Sphingem, five OEdipum agas, vifus in utroque Cæfar.

Sol. Par eft jam, & Interpretationi meæ, & Gryphis noftris, Colophonem imponere.

Cal. Prome de penu tuâ Mufis aliquid, & Apolline dignum.

Sol. Ignis Amor:Gryps eft Ignis:venit Ignis ab Igne:
Ergo ab Amore venit rurfus & alter Amor.
Hac tua Laus, o Gens Martellia. Stemmate quantum.
Ipfa tuo victrix Inftar Amoris habes!
En! Flamma ut! Gryphem cingunt: ut! purpurat Ignis.
Ille Rubor Flamma eft: Flamma fed ipfa Amor eft.
Cunctorum at JOSEPH legit Ignes, cogit Amores:
Colligit ex Atavis, colligit ex Patriâ.
Ignibus at tot concretus, tot Amoribus, haud eft
Præful Amans, verùm (credite) Præful Amor.



* 1. Cenfentur ex Familiâ Martelliâ Poëtæ infignes quinque a Mino Florent. celebrati: *Ludovicus*, *Vincentius*, *Guillelmus*, *Nicolaus*, *&* *Sigifmundus*. Viri omnigenâ Literaturâ illuftres, præter Illuftrifs. ac Reverendifs. JOSEPHUM MARIAM Archiep. Florent., duodecim: *Hugolini* duo, duo *Dominici*, duo *Vincentij*, tres *Ludovici*; tum *Braccius*, *Francifcus*, & *Aloyfius* Societ. Jesu, ingenio, & literis humanioribus præftantiffimus. 2.


2. Laude bellicâ inclyti; nempe Generales Præfecti bellici, Generales Classium Præfecti, Rei tormentariæ Præfecti, complurium triremium Domini, ac Duces, aliique Duces insignes, sunt, *Bartholomeus*, *Nicolaus*, *Baccius*, *Braccius*, *Laurentius*, *Camillus*, *Dominicus*, *Jo: Franciscus*, *Ferdinandus*, *Pandulphus*, *Ludovicus*, *Fridericus*, duo *Petri*, duo *Antonij*, *Vincentius*, & *Martellus*.

3. Ecclesiasticâ Dignitate conspicui, *JOSEPH MARIA* Archiep. Flor., *Franciscus* Archiep. Corinth. Patriarcha Hierosolym., Nuncius Apostol., & S. R. E. Cardinalis; *Hugolinus* Episc. Lupien. & Narnien., *Jo: Baptista* Episc. Joppen., *Hugolinus* Episc. Glandeven., *Ludovicus* Episc. Clusin., *Braccius*. Ep. Fesulanus.

4. Re Politicâ illustres, videlicet Legati ad Principes, Respub., Reges, Cæsares, *Dominicus*, *Rupertus*, *Nicolai* duo, *Hugolini* duo, duo *Braccij*, tum *Petrus*, *Baccius*, *Franciscus*, & *Marcus*, Eques S. Steph. & Baliu. Urbini.

5. Vitæ Probitate, vel Sanctimoniâ clari, *Hilarion* *Hugolinus*, *Braccius*, *Alexander*, *Marcus*, *Vincentius*,





J O S E P H
FLORENTINI GREGIS PASTOR
E C L O G A.

MELIBOEUS, CHROMIS, PALÆMON, Pastores,
NEARCHUS Vates.

M. O Divûm facer Interpres, cui Myſtica rerum
Se retegunt, penitùſq; animis Impervia noſtris
Cuncta patent: hinc Paſtorum nutantia corda
Conſilijs ſæpe ipſe tuis, atque omine firmas,
Magne Nearche: leva titubantes pectore curas.
Hòc adſum; mecumque Chromis, ſeniorque Palæmon;
Quos nova ſuſpenſos rerum Portenta fatigant.
Ç. Per Superos oro, perque hoc ſpirabile lumen,
Per Geniumque tuum, latebroſos diſijce nexus.
P. Evolvas, precor, ambages, ſenſuſque latentes:
Sic tibi fatidicâ mentem Deus impleat aurâ,
Nec lapſura fides unquam tua Dicta refellat.
N. Dic, Melibœe: Deus (nam labitur omnis ab Alto
Lux animis) Deus ille dabit reſerare latebras,
Si qua manet. *Me:* Vidi in prato cum Matribus Agnos
Paſcentes latè per Lilia. Paſtor at illinc
Longè aberat: ſoli pubentia germina, ſoli
Carpebant, ſolis teneri cum matribus Agni.

Lan-

Languebant tamen ah ! Matres, Agnique nivales
Languebant ægri. Scires Paſtore carentes.
N. Scilicet ipſe, Ovibus novit quid præſtet alendis
Conſcius, ipſe Agnis quæ credat pabula, Cuſtos.
Nam, quanvis ſint læta oculis alimenta, ſub illis
Sæpe aconita latent, & non innoxia victu
Gramina. Paſtor amans potiores ſeligit herbas:
Ducit poturos ad flumina: præcavet æſtum:
Defendit dirumque gelu, morſuſque pruinæ.
Paſtoris vox nota Gregem, vox ipſa ſequacem
Delinit, mulcetque ſuæ modulamine Avenæ.
Noſcit Oves bene quiſque ſuas, & noſcitur illis.
Væ! ſolis. Aderit Leo fortè, Lupique rapaces
Diſcerpent. *Me*: Quin hoc ipſum mirabile viſum,
Et monſtri ſimile eſt nobis, o care Nearche.
Nam medias inter pecudes Leo fortè cubabat
Innocuus, circunſpectans: ſenſuſque patere
Si poſſent, viſus miſeras doluiſſe relictas.
Cùm ſubito intonuit rugitu; maxima longè
Cui juga, cui colles reſponſavere ſupini.
Ad vocem accitus ſummis de montibus ecce!
Paſtor neſcio quis, ſed adeſt venerandus: at illi
Obvius ipſe Leo ſe fert; frontemque, jubaſque
Submittens, Adventantis veſtigia lambit.
Exiluere hilares per florea prata Bidentes.
Quid Portenta velint, ediſſere: diſcute nubes.
N. Omina læta cano, Thuſcis & candida Regnis.
Paſtor adeſt, longum Populi Votum: ipſe Latinâ
Qui modò ab Arce redux hilarat clariſsimus Arnum,
Aſpectuque beat. Quos Lilia conſpicis inter
Paſcentes niveis niveos cum Matribus Agnos,
Florentina ſuo Pubes lætiſsima Flore eſt.
At quid in Etruſco pateat, niſi Flora Leone?
Ipſa oculis Cives aſpectat amantibus; Ipſa,

Rugitu patrias curas confessa, fidelem
Pastorem, Civemque suum, Patremque vocavit.
Audijt: &, notæ monitus Telluris amore,
Advenit tandem; & carum suscepit Ovile.
Tunc Leo Tyrrhenus festivis obvius ivit
Plausibus; & tanto gaudens gestivit ALUMNO.
M. O Grex, o Pubes fortunatissima tanto
Pastore! en! Urbem stat pergere; ibique sacratis
Provolvi pedibus; sanctique Oracula Patris
Accipere. *Pa.* Ah! Sociosne tuos, Melibœe, relinques?
Nos quoque (sit tanti mora parva) sequemur euntem.
C. Pauxillum expectare decet; dum nostra Nearchus
Rite recognoscat Visa, atque Arcana resolvat.
N. Dic, Chromi. *Chr.* Vidi Aquilam nuper de Tybridis oris
Ad ripas Arni volitantem; & grandibus alis
Supra Agnos in valle, & Oves, Oviumque Magistros
Tendere iter, longos & circunflectere giros.
Nec satis: at rostro niveam gestabat obunco
Membranam notulis inscriptam: quas mihi Damon
(Nanque ego vix elementa sciens connectere prima)
Damon Pastores inter doctissimus unus,
Explicuit, Chartæ ut manibus data copia nostris,
AUGUSTUS VENIT CUSTOS. Tum Regius Ales
Pagellam elabi in medium permisit Ovile.
Dein trinos iterans super æthere celsior orbes,
Avolat ex oculis, tenues dilapsus in auras.
N. Nonne vides, aliâ expressum sub imagine sacrum
Pastorem? Pater Ausoniâ quem summus ab Arce,
Nomen ab INNOCUIS traxit qui Moribus, & qui
Reginæ Alituum generoso Stemmate gaudet,
Misit in Etruscos fines. Non fallor: eundem
Ipsa Avis altivolans designat: at illa Papyrus
Atque Characteres Pastoris Nomen adumbrant.
Nam, nisi me vani frustra docuere Parentes,

Quod

* Quod ſonat AUGUSTUS linguâ noſtrate, & JOSEPH,
Nomen Idumæum, ſi rite vocabula pendas,
Id ſonat: AUGMENTUM nimirum intellige. Thuſca
Plaude igitur Tellus, & tanto Præſide gaude:
Scilicet augeſcet iam nunc tibi candida ſemper,
Candidiorque Fides, & Honos, atque aurea Secla.

C. Nos fortunati, quos tam felicibus annis
Vivere Fata ſinunt, atque Ora Auguſta tueri!

N. Jam tua tu (monet hora) renarres Viſa, Palæmon.

P. Compuleram pecus in ſilvam, ut defenderet æſtum,
Flammiferamque Rotam: cùm Fagum ecce! omne ſub [unam,
Annoſam, ingentem, ſe ſponte coëgit: &, illud,
Quod mirere magis, ſurrecto attollitur ore
Culmen in arboreum, defixis luminibus ſtans.
Obſtupui: &, cupidus rerum cognoſcere cauſas,
Aſpicio dictuque novum ac mirabile Monſtrum.
Anne Aquila? at Quadrupes. Leo? verùm hic penniger (Ales.
Miſtum utroq; genus video, corpuſque biforme.
Sed nullæ ſub fronte minæ, nil lumine torvum.
Quin & ſubiectos Agnos gaudebat, Oveſque
Deſpectare, ſuaſque ſuper protendere pennas.

N. Mira refers, nec mira tamen. Proh tarde Palæmon
Et ſenio, & mente immemori! nunquamne vetuſtum
Etruſci audiſti JOSEPHI Stemma? Leonem
Unà Aquilamque vides, Animantia Regia: neuter
Eſt, & uterque ſimul; vero ſed nomine GRYPS eſt.

P. Nunc repeto: clarumque Genus narrare ſolebant
Paſtores noſtri. *Me.* Quin propter ſplendida Facta
Dicebant, tantæ hæc olim data Symbola Genti.

N. Quid ſi CUSTODEM ſacri ſpectetis Ovilis
Stemmate deſcriptum proprio? *Pa.* Majora profaris.

 Quip-

* *Auguſtus* ab *Auctu*, vel Avium geſtu. Hinc etiam ad rem Amplam, majeſtatiſque plenam ſignificandam extenditur. (*Theſ. ling. lat.*)

Quippe,Nearche,fide. *Ne.* Quænam sunt,dicite,privæ
Custodis laudes? *Me.* Puto sunt Vigilantia, Robur:
Prospicit hac, illo concredita Munera servat.
N. Hæc ipsa aligero coniuncta in Gryphe videte.
Fortius hoc nihil est, nihil & vigilantius; Aurum
Sive velis, seu jam Gemmas defendere: vulgò
Propterea meruit CUSTOS audire. *Chr.* Sed istuc
Impletum satis esse putem; tot nempe feruntur
Hac de Stirpe Viri, vastæ qui Robore Mentis
Rem Florentinam servarunt. *Ne.* Scilicet illos
Rere satis? Gryphem vel quovis munere dictum...?
Non: sed SACRORUM est CUSTOS. Tu proinde vi-
Ante Aras passim Gryphes,ac Templa locatos. (debis
P. Audivi tamen a senibus, si vera loquuntur,
Fesuleo quondam sub Monte fuisse Menalcham
Ex Gente hac, Vittis clarum, sacrisque Tiaris,
Pastoremque Gregis magni. Sic Omen avitum
Credimus esse ratum. *Ne.* Sed enim num Fesula tantæ
Virtuti fines, atque ultima limina ponat?
Magna Domus majora creat: & crescit eundo,
Ceu Flumen maria alta petens; sibi concolor usque,
Principiisque suis, celso neque degener ortu.
C. Si poscis majora, Lycon majora reponet:
Ipse Togâ nuper Latiâ, roseoque Galero
Spectandus, Tiberim meritis claravit, & Arnum.
N. Hi quoque nimirum promittebantur Honores.
Aspice enim, quanto Gryps interlucet in Ostro!
Sed non ille color lentescet: Purpuraque Ostrum
Altera fortè audit, respondebitque vocata.
M. O Superi faxint firmata hæc tempore nostro!
N. His tamen auspicijs non tam Romana Lacerna,
Quàm tu respondes, Grex Florentine, Tiarâ.
Stemma Leone velut conflatur, & Alite, amico
Sic utrunque Animal JOSEPHUM lumine signat.
Ro-

Romulea hunc Aquila indulsit: Leo Tuscus eundem
Quâ prece non adijt, queis non & amoribus astit?
Nec spectatur adhuc proprio sub Stemmate pictus,
Dum CUSTOS SACER, & titulo consentit in omni?
P. Tale tuum nobis Responsum, docte Nearche,
Accidit, exuctas qualis recreare Bidentes
Fluminis unda solet, cùm findit Sirius agros.
Quis dignas referat tanto pro munere grates?
C. Non opis est equidem nostræ. *Me.* Tibi præmia reddant
Cœlicolæ. *Pa.* At nos, o Socij, properemus ad Urbem.
N. Vestræ addar comes ipse viæ, comes addar honoris.
Attamen haud fas est vacuis accedere palmis.
Ipse feram gracili fragrantia poma canistro;
Et spargam circum violâ, calthâque, rosâque:
Parva quidem: tamen ipsa decent: his pingitur Ipse,
Qui cunctis floret maturus laudibus, Heros.
C. Ast ego lactea dona dabo cum melle recenti:
Ista decent: nihil est Pastore suavius illo.
M. Agnus de grege lanigero pulcherrimus unus
Est mihi, colla gerens rubro circundata mello:
Ipse, manum patiens, sequitur quocunque vocatus.
Iste decet: mitis nam Pastor, mitis ut Agnus.
P. At mihi sunt geminæ in tectis sine labe Columbæ:
Vincunt Argentum, vincunt candore Ligustra.
Hæ decuere Patrem, innocuis qui moribus, illæ
Ceu sunt innocuæ: sua erit charis huic quoque Dono.
N. Rumpite jamque moras. *Pa.* Sed tu prior ire memento
Sacratum ad Solium, fandi qui doctior: & nos,
Ac nostra officia exhibeas. *Ne.* Ego vertice prono,
Vosque unâ, Patrem venerabimur. Offeret inde
Quisque suâ sua Dona manu. Dein nomine vestro,
Nomine rite meo, partum gratabor Honorem,
Communesque Urbis plausus, Populique, Gregisque;
Pollicitus tum nostram operam, tenuesque labores,
Te-

Teſtabor Superos, Diuturnæ tempora Vitæ
Indulgere velint. Flexo tum poplite quiſque
(Ad normam nunc rite meam ſe fingere diſcat)
Aut jungat palmas, digitoſve interplicet, aut ſic
Stet cancellatis ad pectora curva lacertis:
Dicatque: *O ſacer Antiſtes Bene fauſta precare*.
M. Addam ego: In abruptis Agni mihi ſaltibus errant:
Nec vigili fas eſt oculo pertingere ad omnes.
Dic bona verba, Pater, jam nunc, precor, auſpice dextrâ;
Ne fiant miſeri graſſantum præda luporum.
C. Subijciam: Turrita colunt mea tecta Columbæ:
Lactea terga illis, frons lactea, lactea colla.
Dic bona verba, Pater; fauſtoque has omine ſerva;
Ne ferus accipiter miſeras trahat ore cruento.
P. Aſt ego: In Arnenſi ſurgunt mihi Lilia Valle:
Chloridi Sidereæ devovimus. O Pater, almo
Tutare auſpicio; ne gens inimica revellat,
Neu turbo allidat, ruptive e nubibus imbres.
N. Hunc ritum memores ſervate: deinde, Sacerdos
Quæ dextrâ ſanctus ſublatâ impertiet, omnes
Procurvâ accipiant divina Chariſmata fronte.
P. Res bene procedet. *Me.* Cuncta ex ſententiâ. *Chr.* Eamus.

EUCHARISTERION.

Timebant Aquilam, & trucem Leonem
Agni, Oves, Ovium quoque & Magiſtri:
Nam ferox rapit illa, raptat iſte:
Junctam nunc Aquilam ſuo Leoni
Agni, Oves, Oviumque amant Magiſtri:
Nam ſervat vigil iſte, ſervat illa.
Laus certè unius eſt tua hæc, JOSEPH.
Prôin jure Aquilæ venis in Ædem,

Quæ juncta est quoque Mystico Leoni. *
Nos grates tibi plurimas habemus;
Deque hoc Munere millies te amamus.

* *In Curru Ezechiel Proph. ut supra dictum est.*



CANDIDE LECTOR.

MOnitum te volo. Si qua offenderis in hisce lucubrationibus, quæ Ethnicum sapere videantur, cujusmodi sunt Nomina Fati, Fortunæ, Deorum, & similium, eatenus eadem ab Auctore usurpari, quatenus vel Poëtica sunt, vel ita fert usus vetustioris Latinitatis. Ceterùm, si Calamus Poëticus, Animus Catholicus est.

HIERONYMUS PHOEBEI

SOCIETATIS JESU

In Provinciâ Romanâ Præpositus Provincialis

CUm Librum, cui titulus GRYPS MARTELLIUS, *a P. Josepho Scapecchi nostræ Societatis Sacerdote* conscriptum aliquot ejusdem Societ. Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate nobis a R. Patre Michaele Angelo Tamburini Præposito Generali ad id traditâ, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostrâ subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Maceratæ die 23. Junij 1722.

Hieronymus Phœbei.

ACA-

ACADEMICORUM NOMINA.

ORATIONEM RECITAVIT.

Abbas Acursius de Riccis.

INTERLOCUTORES IN DIALOGO.

Abb. Aloysius del Sera, Cosmus del Sera, Abb. Aloysius Strozza, Canonicus Rudolphinus Venuti, Eques Leo Ricasoli.

ECLOGÆ PASTORES.

Eques Philippus Corboli, Philippus Gondi, Antonius dell' Ancisa, Raphael Minorbetti.

EUCHARISTERION EXHIBUIT.

Carolus Scarlatti.

